

attinentiis suis, agris, pratis, pascuis, silvis, virgultis, aquis aquarumque decursibus, molis et molendinis, piscationibus, viis et inviis vel quocumque modo dici vel nominari possit, pro ducentis et quadraginta marcis legalis argenti Misnensi pondere ponderatis, ita tamen ut saepe dictae villae cum universis appendiciis suis ut supradictum est transeant ad ecclesiam Misnensem cum omni iure, quod nobis et monasterio nostro competebat in praemissis vel competere potuisset quomodolibet in futuro. Praesentibus etiam protestantes pecuniam supradictam totaliter nobis esse solutam et conversam cum summa diligentia in nostri monasterii utilitatem. Et ne alicui super antedicto contractu dubietas oriatur, praesentem litteram sigilli nostri munimine duximus roborandam. Datum et actum in Lubanitz anno domini M^o. CC^o. LXVII^o. III. Kal. Martii.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem an einem Pergamentstreifen hängenden zur Hälfte abgebrochenen Siegel.

No. 202. 1267. 17. Aug.

B. Withego verleiht denen, welche zu Herstellung des schadhaft gewordenen Daches der Stiftskirche zu Zeitz, des Schlafhauses und anderer Gebäude einen Beitrag bewilligen, vierzig Tage Ablass.

Withego dei gratia Misnensis episcopus universis praesentes litteras inspecturis salutem in domino Jhesu. Inter opera pietatis illud praegrande dinoscitur, ut quis de bonis a deo sibi creditis ad ecclesias et reparationes earundem manum auxilii porrigat liberalem. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur in domino ac in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quod ad reparationem tecti ecclesiae beatorum Petri et Pauli Cicensis Nuemburgensis diocesis, quod honorabiles viri praepositus, decanus et capitulum ipsius ecclesiae una cum dormitorio et aliis officinis emendare proponunt, de bonis vobis collatis pias elemosynas et grata karitatis subsidia erogetis, ut per haec et alia bona, quae domino inspirante feceritis, possitis ad aeternae felicitatis gaudia pervenire attendentes, quam sit utile quam salubre pro bonis temporalibus et caducis, quae fluunt et refluunt et subsistere nequeunt, una sorte indeficientes delicias et divitias adipisci. Nos quoque omnipotentis dei misericordia auctoritate nobis tradita confisi omnibus ad praemissa manum adiutricem porrigentibus quadraginta dies et unam karenam de iniuncta sibi poenitentia relaxamus praesentibus post operis consummationem minime valituris. Datum Mugelin anno domini M^o. CC^o. LXVII. XVI^o. Kalend. Septembris pontificatus nostri anno primo.

Nach dem Copiarium D. 23 aus dem 15. Jahrh. im Stiftsarchiv zu Zeitz fol. 68. und dem Copiar. LVI. im Prov.-Archiv zu Magdeburg fol. 47^b.

No. 203. 1268. 2. Mai.

Das Domcapitel verkauft seine Besitzungen zu Mischwitz (Par. Zehren) an die dasigen Bauern, gast genannt, welche von ihrer Dienstbarkeit zwar befreit werden, aber zu gewissen Leistungen verpflichtet bleiben.

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Conradus dei gratia praepositus, Gothschalculus decanus totumque Misnensis ecclesiae capitulum, universis Christi fidelibus praesentem litteram visuris aeternam in domino salutem. Quoniam quae